



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Mercvrius Mart. 25. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

stravere verberaque, & quas inter expi-
ravit, faces lateri adnotæ. Itaque has
etiam rectè nuptiales fuisse dixerunt.

Ex Ferrar.

S. MERCURIUS MART.

25. *Novembris.*

AVdete milites: non excludit vos ca-
alum, si quam aliis, vim, etiam huic
facitis. Fecit MERCURIUS, qui malè
Decio primùm, sed benè post Christo
militavit. Cùm enim in ipsâ acie de
Angeli sui Tutelaris manu gladium ac-
cepisset, quò hostium bene magnam
partem trucidaverat, non moratus est
sub illo deinceps mereri, qui optimum
stipendium certam victoriam numera-
ret, quam ille etiam contra Decium
reportavit. Quid enim, Superi! quatuor
palis alligatus, distractusque, abstrahi
tamen ad tyranni partes non potuit.
Suspendum è capite saxum ipse pedes
sensus, velut fascem suum genero-
sus miles portavit. Sed neque ignes
horruit, & plagas pro Christo etiam
aversas adversas putavit. Exilium velut
missionem accepit. Caput spiculatori
velut Imperatori coronandum porre-
xit. Illud imprimis memorabile, quòd
MERCURII operâ, etiam cùm in celo
jam ageret, VIRGO MATER sit usa.
Nam ajunt D. Basilium ante VIRGI-
NIS effigiem Iuliani impietatem accu-
sasse,

fasse, hanc capitis in tyrannum sententiam dixisse, & ad id ablegasse MERCVRIVM; à quo ille confossus haustum è vulnere cruorem cum hâc impiâ voce in cælum ejaculatus sit: *Vicisti Galilee*: rem omnem ab absente tunc martyris hastâ & postridie cruentâ proditam esse. Atque hoc puto etiam Sodalibus aurem vellicabit, quæ semper MATER audit, etiam nonnunquam eam iudicem esse. *Ex Bar. & Metaphr.*

S. CATHARINA V. ET M.
25. Novembris.

PALLADEM Christianam damus, CATHARINAM inquam, fortissimam Virginem & sanctiorum Musarum dignissimam Præsidentem, non Ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandria Diis sacrificantem Maximinum interpellare, stultitiæque propalâm arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo in arenam descendere. Et rasi sunt tot viri à virgine se victos, & in flammâ abjecti, manus Deo, & palmam CATHARINÆ dederunt. Illic CATHARINA etiam Imperatricem, quæ ad vindictam inviserat, carcerique præfectum Porphyrium cum suis præmisit. Ipsa ultima cum tyranno commissa